



BREVIS RELATIO DE

Numero, & Qualitate Christianorum apud SINAS.

AVCTORE

P. Martino Martinio Tridentino Viceprouinciæ Sinensis Procuratore è Societate Iesu.







ROMAE,
EX OFFICINA IGNATII DE LAZZERIS.
M. DC. LIV.
SVPERIORVM PERMISSV.


BREVIS RELATIO DE


Numero, & Qualitate Christianorum apud SINAS.

AVCTORE

P. Martino Martinio Tridentino Vice provinciae Sinensis Procuratore e Societate Iesu.







ROMAE,
EX OFFICINA IGNATII DE LAZZERIS.
M. DC. LIV.
SVPERIORVM PERMISSV.

BREVIS RELATIO
Martini Martinij è Societ. Iesù Procuratoris Vice Prouinciæ SINENSIS
DE
Numero, & qualitate Christianorum apud SINAS
AD
EMINENTISSIMVM, ET REVERENDISSIMVM
D. CARDINALEM
ANTONIVM
BARBERINVM
S: R. E. Camerarium, & Sac. Congr. de Propaganda Fide Præfectum.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. PRINCEPS.



X fructibus, quos nouale Christi in vltimo Oriente profert, offero EMINENTIAE TVAE hunc manipulum, vt

qui Congregationi, quæ eſt de dilatando pomœrio Religionis Chriſtianæ, præſides, vineam Chriſti videas extendiſſe palmites ſuos vſque ad mare, ſcilicet Eoum, quo maxima culti Orbis, pars (hoc eſt Aſia) terminatur.

Breuis quidem Relatio eſt, ſed ea omnia per compendium continet, quæ Patres Societatis IESV in amplißimo Sinarum Regno ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſtudijs, ac laboribus non inutiliter procurarunt, vt ita vno quaſi intuitu collectos hactenus fructus, quique diuina adiuuante gratia ſpe-

ſperantur, quiuis aſſequi valeat; ſummatim præmitto, & quaſi ad prælibandum appono, quæ fuſius enarranda ampliori volumini reſeruantur, quod ea, quæ ab anno 1610. (quo ſuum, de Chriſtiana expeditione apud Sinas ſuſcepta à Societate IESV, Librum concludit R. P. Trigautius) geſta ſunt vſque ad hæc tempora complectetur: conſilium mihi eſt, multorum deſideria accendere, vt mox ſecuturam ampliorem hiſtoriam eò auidius expectent, quod vt puto hæc Relatio faciet, ſi non ſatisfacit:

Nec diu mihi Patronus quæ-

do ren-

rendus fuit, cui hanc opellam dedicarem. Quoniam Sacræ Congregationi de Propaganda Fide Præsides, illaque propagatæ apud Sinas Fidei noua germina continet TE CARDINALIS ANTONI in PATRONVM adoptauit.

Accipe igitur hoc leuidense munusculum, qua soles benignitate res omnes spectantes ad propagationem Fidei, cuius curam geris, & pro singulari tua in nostram Societatem beneuolentia, Operarios in illa Vinea non inutiliter desudantes, tuo patrocinio foue. In tenui re habes indicem gratissimi animi

ob

ob eximia tua in Societatem merita,& pignus propenſiſsimæ ad inſeruiendum EMINENTIAE TVAE in omnibus voluntatis . Vale, & viue Neſtoreos annos . Romæ Decembris , 1654.




GOSVVINVS NICKEL

Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVm breuem Relationem de numero, & qualitate Christianorum apud Sinas à Patre Martino Martinio, nostræ Societatis Sacerdote conscriptam aliquot eiusdem Societatis Religiosi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, potestatem facimus, vt typis mandetur, si ita ijs, ad quos attinet, videbitur cuius rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas damus Romæ 15. Nouembris 1654.

Gosuuinus NicKel.



Imprimatur Si videbitur Reuerendiss P. Mag. Sac Pal. Apost.

M. Anania Vicesgerens.



Imprimatur Fr. Dominicus Manettus Reuerendi P. Raymundi Capisucchi Sac. Pal. Apost. Magistri Socius. Ord. Prædic.

I.

BREVIS
RELATIO
DE
Numero, & Qualitate Christianorum apud SINAS.

§. PRIMVS:
Nomina ac Nationes Patrum è Societate IESV, qui SINIS diuinam legem prædicarunt.





PRIMVS qui è Societate IESV Sinicam expeditionem aggressus est, fuit Indiarum Apostolus sanctus Franciscus Xauerius, quem Sinicæ Missionis non Antesignanum modò gloriosissimum, sed & Moysem alterum vocare iure merito possumus; licet enim continentem Sinarum ingressus non sit, &

ad illius ianuas mortuus in Insula Sancham, Sinico Imperatori subiecta, suorum laborum praemia in Coelo obtinuerit, tamen tanquam alter Moyses suis successoribus è Societate IESV (quam adeo amabat) ingressum de Coelo impetrauit; manet hæc fortuna nepotes. Biennio autem, aut paulò plus, post felicissimam tanti Apostoli mortem, hoc est, 1555. Pater Melchior Nunes Lusitanus aliquam Sinis legis Euangelicæ notitiam dedit, ex occasione quod Iaponiam petens, non paruo tempore substitisse ad Vrbem nobilissimam Quangcheu, quæ Quangtung Prouinciæ Metropolis est.

Historia Societatis Tom. primo lib. 15 num. 134.

Post hæc hanc Sacram Expeditionem Patres Societatis nostræ eo ordine successiuè ingressi sunt, quo hic ponuntur. 1. Pater Michael Rogerio. 2. P. Franciscus Pasio. 3. P. Matthæus Ricci, Itali. 4. P. Duarte de Sande. 5. P. Antonius de Almeida, Lusitani. 6. P. Franciscus Petri. 7. P. Lazarus Cattaneus Itali. 8. P. Ioannes Soerio Lusitanus. 9. P. Nicolaus Longobardo, Italus, qui adhuc viuit, ingressusque est Sinarum Regnum anno à partu Virginis 1597; Vnde iam annis 57. hanc excolit vineam, plenus dierum ac meritorum. 10. P. Joannes de Rocha Lusitanus. 11. P. Didacus Pantoia Hispanus. 12. P. Emanuel Dias senior Lusitanus. 13. P. Bartholomæus Tedeschi Italus. 14. P. Petrus Ribeiro. 15. P. Gaspar Ferreira, Lusitani. 16. Alphonsus Vagnoni Italus. 17.

P. Fe-

P. Felicianus de Sylua. 18. P. Hieronymus Rodriguez, Lusitani. 19. P. Sebastianus de Vrsis Italus. 20. P. Emanuel Dias iunior Lusitanus. 21. P. Nicolaus Trigautius Belga. 22. P. Franciscus Sambiasi. 23. P. Iulius Aleni, Itali. 24. P. Petrus Spira Germanus. 25. P. Aluarus Semedo Lusitanus. 26. P. Ioannes Vremon. 27. P. Ioannes Terencius, Germani. 28. P. Franciscus Furtado Lusitanus. 29. P. Ioannes Adamus Shall à Bel Germanus; 30. P. Iacobus Rho Mediolanensis 31. P. Rodaricus de Figueredo. 32. P. Ioannes Froes, Lusitani. 33. P. Andreas Rodomina Polonus. 34. P. Simon da Cunha Lusitanus: 35. P. Tranquillus Grasetti Italus. 36. P. Stephanus Faber Gallus 37. P. Benedictus de Mattos Lusitanus. 38. P. Petrus Caneuari Italus. 39. P. Michael Trigautius Belga. 40. P. Augustinus Todeschino Italus. 41. P. Ignatius da Costa. 42. P. Antonius de Gouea. 43. P. Ioannes Monteiro Lusitani. 44. P. Hieronymus Grauina. 45. P. Franciscus Brancati. 46. P. Ludouicus Buglio Siculi. 47. P. Michael Valta. 48. P. Nicolaus Viua, Germani. 49. P. Gabriel de Magalhoes 50. P. Iosephus de Almeida Lusitani. 51. P. Franciscus Ferraris Italus. 52. P. Martinus Martini Tridentinus. 53. P. Ioannes Nicolaus Smogolecki. 54. P. Michael Boym Poloni. 55. P Andreas Xauier siue Cofller, Germanus 56. P. Ioannes Valat Gallus. 57. P. Emanuel Giorgi. 58. P. Felicianus Pacheco, Lusitani. His non

addo Fratres Coadiutores omninò quindecim & ad Christianorum numerum propero.

§. SECVNDVS.

Christianorum in SINIS numerus.

ANno Domini 1627. censa sunt ad decies & termille capita Christianorum, collecto censu è numero ex Prouincijs Kiangsi, Chekiang, Nanking Xantung, Xensi, Xansi & Peking.

Anno Domini 1636. censa sunt, ad quadraginta Capitum millia, Christi fidem profitentium, in Prouincijs Nanking, Chekiang, Kiangsi, Xantung, Fokien, Honan, Xensi & Xansi, ac Peking, qui numerus tametsi adeo magnus non sit. si annos ab octogesimo quingentesimo supra millesimum impensos huic labori numeres, idque tantis cum operum laboribus apud gentiles adeo copiosos & frequentes. Magnus tamen omninò numerus est nec pauci dicendi sunt, si difficultates in ingressu huius Regni, populoqu lege Dei instituendo consideres, quæ ex seueris contra exteros legibus, quibus apud ipsos magna reuerentia est præsertim oriuntur.

P. Rodricus Figueredo in suis litteris.

No-

Notandum verò est, in Prouincia FoKien siue Cincheo (quam solam ex quindecim Sinici Imperij frequentarunt alij Religiosi à nostris Ordines) eodem anno supra mille nongentos & nonaginta numerasse nos Christianos, ex ijsque in ipsa Vrbe Metropoli Focheu cum duobus Suburbijs ad mille sexcentos & amplius, Salutaribus Baptismi aquis fuisse ablutos, idque spatijs annorum decem, quibus lex Euangelica primùm illis innotuerat, neque enim ante annum 1625. ad eos qui verbum Domini ibi primus disseminauit, Pater Iulius Aleni peruenerat.

Quod si Sanctus Iacobus toto illo tempore, quo venit in Hispaniam, non nisi aliquos reddidit Christianos; vtique paruus omninò fructus non est, si decennij spatio ad duo numerantur millia. Quin vt illi Septemuiri Sancti Iacobi semen fuere infinitorum aliorum subsequētium, ita sperandum omninò futuros hosce, quod & ex parte anno 1638. sumus experti, septem supra decem varijs in locis erectis Ecclesijs, tribusque sedibus hominum seu virorum Religiosorum in hac sola Prouincia statutis: Annua 1638.

Anno Domini 1640. supra sexaginta aut septuaginta fuere Christianorum millia, in Prouincijs PeKing, NanKing, FoKien, Kiangsi, CheKiang, alijsque quas supra ēnumerauimus, vt omittam alias fidei nostræ mysterijs omninò imbutas ad tredecim ex quindecim, quibus hoc Regnum constituitur, Prouincijs, ita vt duæ tantum

tum

tum adhuc imbuendæ ſuperſint.

Aduerto autem porrò hoc, quot an nis ſex vt minimum millia ſacris baptiſmi aquis Chriſto renasci ſolita, vnde anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo primo; quando è Sinis exiui, ad minimum numerabantur, qui Chriſto nomen dedere, centum quinquaginta millia, quibus non adnumero aliquot centena millia in TungKing, quæ Chriſti fidem admiſerunt, quod Regnum etiam Sinici Imperij pars cenſetur; tantus ergo iam eſt numerus, vt paucos intra annos ſperari omninò poſſit, nil haſce terras Chriſtianorum numero cæteris etiam cultiſſimis ceſſuras. Id ſpondet innumera iſthic hominum multitudo, magna ad fidem noſtram animi propenſio feſtinatioque, qua moras ante ductas facilè compenſant, ac delent, cumque vt aiunt vulgò, citò nata, citò pereant, tantò hic progreſſus eſt à ruina ſecurior, quo altiores egit radices: Hæc de numero.



§ TER-

§. TERTIVS.

Qui qualesque SINAE fidem Christi susceperint, proponitur.

SVperest vt videamus, qui qualesque ij sint, de quibus sinistra adeo informatio est ad Insulas Philippinas, & inde in Europam vsque delata. Primùm tum verbis tum scriptis euulgatum, parùm omninò profici cum Mandarinis honestioribus; solam fæcem populi ad fidem nostram conuerti; deinde quoad res, quæ naturæ vim atque ordinem superant, (vnde supernaturales dictæ) animaduersum aiunt, Christianos nostros, parum Sanæ fidei esse, multum suis erroribus & idololatriæ addictos, adeo vt legem nostram cum Deorum suorum cultu miscere velle videantur. Ad hæc parum dediti dicuntur operibus Charitatis, atque eleemosynarum largitioni, parum firmi atque constantes in fide semel suscepta, frigidiores in orationibus, pijs operibus, afflictionibusque corporis.

His similibusque opinionibus imbutæ iam sunt Philippinæ Insulæ, inde in Hispaniam peruagatæ Romam vsque peruenerunt, quæ res inde orta quod Philippinensium aliqui credant,

etiam intra Sinam baptizari passim, non notos nec instructos satis, vt apud suos sæpè vident; quod si Sinenses illis coram spectare liceret, aliter longè de ijs iudicarent. Et vt demus, ita esse de Sinensibus, qui in Philippinis sunt, minimè mirum eos non satis de rebus fidei, omnibusque ad hanc necessarijs esse instructos, cum hinc inde per varia loca sparsi sint, plurima Europæorum militum aliorumque aduenarum mala viuendi exempla iis ob oculos quotidie versentur, & multas passim vexationes sustineant, vt omninò eò magis mirandum sit, eos amplecti fidem illorum, qui magis rationi naturali quàm ipsimet gentiles aduersentur; sed hosce vt prætereamus, videamus quæ spectant ad Sinenses ipso, qui non nisi ex Europæis aduenis Patres, operariosque Euangelicos vident.

Constat sub ipsa huius Missionis principia parùm fuisse profectum inter honoratiores Regni, primumque qui nostra Sacra in Vrbe ChauKing
Trigaut: l. 2. susceperit, miserum fuisse pauperculum, domo ab ipsis parentibus amicisque eiectum, in Campo ad mortem derelictum, quòd domestici, morbi, quo tenebatur, fœtorem non ferrent; hunc à P. Rogerio exigua, quam illi struxerat, casula susceptum, scribit Trigautius, curatumque; Patre illi cibos suis manibus cœteraque ad vitam necessaria ingenti Charitatis exemplo sponte sua subministrante; ea re oculos huic misero fuisse apertos: cum hunc exterorum amorem ac beneuo-

neuolentiam, cum suorum maleuolentia subinde conferret, inferrens, legem, quæ ad talia moueret opera, debere esse veram, eamque quæ tutò ducat, & securè ad vitam æternam; Baptismum expetijt, eoque impetrato non ita multò post excessit è vita, magna salutis suæ spe Patri Rogerio relicta. Hisce initijs despectis atque obscuris, hominum iudicio, ea iacta sunt fundamenta, quibus postmodum tanta Christianorum multitudo accessit.

Hic Dei agendi modus, est conformis omninò illi stylo, quo vsus est in ipsis primis fundamentis nascentis Ecclesiæ, adhibens abiectissima quæque *in oculis domini*, ne supersit vlla dubitandi ratio; quin in ijs vel maximè concurrat, atque eluceat potentia dexteræ Excelsi.

Rationi tamen minimè repugnat, immò consentaneum omninò est, vt Operarij Euangelici omnem opem exhibeant atque operam, qua honoratiores quosdam magis eminentes, ad fidei nostræ cultum susceptionemque polliceant, tum vt magis rebus nostris concilietur auctoritas, tum vt ij exemplo suo, quo digniori, eò efficaciori cæteros ad fidem amplectendam magis moueat, Hinc suadet Seraphicus Doctor S. Bonauentura, Diuitibus atque potentibus conuertendis ad laborandum magis, quàm pauperibus ac tenuioribus, [quia maior vtilitas prouenit ex correctione vnius diuitis, quàm plurimorum pauperũ, pauperum enim Salus sibimet prodest; diues au- In apolog paup.

tem emendatus multis prodest, tam propter exemplum eorum, qui inde ædificantur, & prouocantur ad bonum, quàm propter alia bona, quæ per eum promouentur in alijs, & mala, quæ impediuntur: qualis Rector ciuitatis, tales habitantes in ea; conuersio Imperatoris Constantini ad fidem plus profuit Ecclesiæ, quàm multorum aliorum. Hinc fortè, mutato Sauli nomine Doctor gentium Apostolus, Pauli nomen assumpsit, quod Cypri proconsulem Romanum nobilissimum Sergium Paulum salutaribus Baptismi aquis eluisset. Tametsi non desint, qui dicant, gentile istud nomen assumptum ab Apostolo, vt, quia cum gentibus illi deinceps agendum, & illo esset nomine notior, & plusculum sibi authoritatis acquireret, magisque sibi Romanorum animos conciliaret, priori Sauli nomine, suos inter maximè honorato, atque ab ipsis Regibus vsurpato, relicto; vt obiter isthic notetur, non de nihilo esse, quod nostri relictis nominibus sibi proprijs Europæis, Sinensibusque honoratioribus, illisque notioribus susceptis, passim vocentur:

In Epist. ad Philem. Audiendus hic Sanctus Hieronymus, qui vt Scipio Africanus ab Africa, alijque ab alijs Orbis partibus à se subactis, gloriosum sibi nomen asciuerunt, [ita, inquit, Saulus ad prædicationem gentium missus à primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo Victoriæ suæ trophæa retulit, erexitque vexillum, vt Paulus diceretur è Saulo.]

Hac

Hac de causa id vnum ab ipsis principijs tentarunt spectaruntque Patres ibi nostri, vt Mandarinos quosdam atque litteratos Christo lucrifacerent, qui cum ibi nobiliores potenrioresque sint, facilè facem cęteris secuturis prælucerent.

Eandem ob rem tantopere vrsit Pater Alexander Valignanus, vt in vtraq; Aula NanKing, & PeKing nostri sedem figerent, domumque occuparent; id vt consequeretur, tantis sese periculis molestijsque obiecit R. P. Matthæus Riccius, donec tandem statutis ibi domibus feliciter eluctaretur; doctrinâ suâ ac virtute plurimorum ibi Magnatum conciliatâ amicitiâ, quorum nonnulli Baptismo initiati sunt, vt Doctor ille Paulus, qui magnus deinde Colaus, hoc est, ad supremã post Regem dignitatem euectus est; tum altero etiam nobilissimo litterato conuerso, qui & Paulus dictus; quem secuti Doctores Leo & Michael ambo duæ nascentis illius Ecclesiæ firmissimæ columnæ; qui successus ita deinceps continuati sunt, vt anno 1636. numerati fuerint ex Mandarinis grauioribus decem & quatuor, Doctores decem Licentiati vndecim, Baccalaurei ducenti nonaginta & vnus, (omnibus enim hisce gradibus maiorique quam nos æstimatione vtuntur Sinæ) Christianis Sacris imbuti; quibus non addo sequentium annorum numerum, qui continuó Dei beneficio & aliorum exemplo excreuit, tamen.

His addendi plurimi ex sanguine Regio, qui

tametsi Regni gubernacula non attingunt, sunt tamen potentia ac dignitate multum supra cæteros eminentes. Ex his erant eodem anno Christiani supra centum & quadraginta, vt ne numerem quadraginta eoque amplius Eunuchos, quibus Rex in ipso Palatio vtitur ad ministerium.

Deniquè Dominæ palatinæ, interquè eas ipsamet ThienKi Regis præcedentis vxor, annò millesimo sexcentesimo trigesimo nono numeratæ ad triginta & octo, & annò 1640. ad quadraginta & plures, crescente indies fidelium, illorumque Magnatum numero.

Inter hæc tamen Tartarorum tempestas Sinicum oppressit Imperium, Taiminga familia vexatur, Regia PeKing occupatur, palatium expilatur, Rex seipsum suspendit, palatinæ dilabuntur, tota demum rei Christianæ spes in palatio præscinditur. Timendum erat (cum mores ac genia Tartarorum nondum nota essent) ne Sinica Ecclesia interiret; verùm DEVS opt. Maximus ita nobis, qui rem diuinam procurabamus in Sinis Tartarorum animos conciliauit, vt liberè Christianam rem agere permissi simus; quin imò Tartari ipsi non modo fouere templaque aliqua nobis extruere cœperunt, verùm etiam non pauci Sacris nostris initiati sunt; qua de re fusiùs Deo volente in Annalibus Sinensibus Societatis IESV quos meditor; vnde dicere cum Sancto Leone possumus, diuino consilio factum esse, quod Sinicum occuparent Imperium, vt

S. Leo serm. 1. in Natal. Apost.

nimi-

nimirùm citiùs peruios haberet prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.

Quod vero non parua dignum videtur admiratione est, quod Societatis nostræ Patres ab à se inuicem inimicis regibus etiam amarentur ac permitterentur: nunquam Tartarus, quod sub Sinicis Regibus per varias prouincias electis essemus, indignatus est; nunquam Reges hi electi, quod sub Tartaris etiam versaremur. Vbique Deus Regum corda in manu sua habuit nobisque propitia reddidit; vnde dum alij Deo ac Ecclesiæ sub à Tartaris occupatis Prouincijs laborabant, alij sub Sinico Rege Iunglieo adeo felicem habuerunt sortem, vt Reginam Vxorem, Filium hæredem, ac demum ipsam Regis matrem Sacris abluerint aquis.

In quibus miraculi instar habe, quod cum insita genti arrogantia generis ac status dignitate imperare alijs assueuerint, ita sese ad institutionem directionemque exterorum quorundam, eorumque inopum, subijciant vt vel ex eo diuinam gratiam effectu planè prodigioso, possis agnoscere.



§. QVAR-

§. QVARTVS,

Christianorum Sinensium circa res diuinas diligentia, ac in suscepta fide constantia explicatur.

QVod ad supernaturalia attinet, lumenque quò Sanctus Spiritus fidelium corda accendit, & illustrat, alibi ostendemus, quã procul absint à permittendis erroribus, fouendis superstitionibus, vt falsò à quibusdam obiectum. Neque enim vllus hic ad Christi sacra cogitur, cum nemo sit, qui compellat; nec ratione priuati commodi allicitur; cum nulla inde vtilitas aut lucrum; immò quod solemne olim, multorum gentilium maledicentia sequatur, & opprobrium, nec fraude quispiam inducitur, cum enim, vti notum omnibus, ingenio plurimum ac iudicio valeant, nemo fidem nostram suscipit, quin multò ante, id que diligenter omnia seriò perpenderit, dubia sua, quæ & subinde difficult atem quibusdam possint facescere, proposuerit, rationesque credibilitatis abundè perceperit; vt nil dicam hìc de fauoribus extraordinarijs quibus se suamque Matrem ac diuos tutelares

piè inuocantes ſubinde impertitus eſt, de quibus numerant annuæ trigeſimo octauo, trigeſimo nono,& quadrageſimo ac ſequentes.plures mortuos rediuiuos,curatos derepente infirmos, energumenos tetro illo ſpiritu ac hoſpite liberos per Exorciſmos Eccleſiæ. Ne enumerem opem alatam multis diuinitùs per ſacras imagines agnos Dei, ſacra numiſmata, Cruces, cuius rei participes omninò non ſunt, nec infideles nec mali Chriſtiani, quin potius grauibus ſæpè pœnis increpatur tepor illorum, & durities. Ea alibi ſcribentur omnia opportunius.

Quid porrò dicendum de multorũ in fide conſtantia? in laboribus in periculis? in perſecutionibus grauiſſimis? ne dicam ſingulatim de ſingulis,quæ quiſque domi ſuæ paſſus ſit in amiſſione bonorum, honoris, & dignitatum, verborum ac etiam ſæpè verberum inflictionem,à parentibus ab amicis, quibus eos à fide ac propoſito, vi sæpè abducere ſunt conati.

Tranſeo hoſce omnes, numero enim obruerer, in perſecutione, quæ maximam partem Sinarum peruagata eſt anno 1616. & 17. Sub Mandarino Nanxinenſi, nomine Xin, cum Patribus capti ſunt tres ex adiutoribus noſtris fratribus domeſticis, natione Sinæ, tormentis ſæuiſſimis excruciati, vt reliquos Chriſtianos proderent, ad triremes vt mancipia damnati conſtantiſſimi inde perſtitere, cum captiuis Patri-

bus

bus subire vincula ac carceres cupiere plurimi, mo rique pro Christo exoptauere; quidã etiã voti con-potes sũma alacritate fidẽ professi mortẽ tulere.

In persecutione altera, quæ in Prouincia Fo-kien excitata post modum est, Christiani com-plures, vnà cum Patre nostro Iulio Aleni, in tem-plo Deum suppliciter precantes ad Martirij co-ronam aspirantes diu perstiterant, at non nisi vnus & alter obtinuere coronam; primus ex ine-dia, & laboribus in carcere defunctus, alter illius frater martyrios affectus in Haynan: plurimi ex ipsis ingetes calamitates passi sunt, eo quòd es-sent Christiani, domo, facultatibus, gradibus, li-bertateque ob Christum spoliati; mira etiam fuit promtitudo alacritasque Doctorum, Pauli, Mi-chaelis, Leonis, aliorúmque Mandarinorum in scribẽdis pro patribus ac fide nostra varijs Apolo-gijs, refutandis Sinensium erroribus, vti pænè olim fecerunt Iustini, Atanasij, Gregorij, aliaque Ecclesiæ lumina.

Neque hisce contenti, dum tempestas illa de-ferbuisset, Patres domini suæ abditos detinuere, nulla periculi sui nulla perdendæ dignitatis aut muneris habita ratione, id totum Deo ac fidei suæ professioni se debere rati. Hæc aliaque quæ tacitus prætereo effectus sunt fidei minimè du-biæ debilis, aut inconstantis, quæ qui coram vi-dent, Patres nostri oculatissimi, mirantur ab ex-traneis, iisque Viris Religiosis supra modum ele-uari ac minui.

Idem

Idem omninò probant opera Charitatis illorum sanè præclara. Sunt qui Christianos bonis spoliatos restituere in integrum, liberales omninò in dandis eleemosinis, pro condendis templis; ijsque adornandis, gnari necessitatis nostræ, & inopiæ domesticæ, maximè post interruptum Lusitanorum cum Iaponia commercium, Patribus id hactenus accipere detrectantibus, quod necesse erat, non semel spontè liberaliterque obtulere, quamuis nunquam admiserint nostri, longè malentes extremam pati penuriam, quam vt apud gentiles viliùs existimaretur opus Euangelii, & propagatio Fidei.

Per modum Sodalitatum coguntur Cętus in quibus, vbi de diuinis rebus habitus est sermo, proponuntur Christianorum necessitates, deputantur ad sollicitudinem & curam harum aliqui, renato hic quodammodo feruore primitiuæ Ecclesiæ, licet verò in corporeis hisce exactissimi sint, multo tamen magis in spiritualibus misericordię operibus pręstan. Hinc vix repertum Euangelicæ lucis thesaurum summo zelo quam primùm cum aliis communicant; adeo vt quisque fœcundo æquiparari posſit semini, quod continuò fructum faciat inter parentes, notos, & amicos. Natura factos eos credas compositosque ad pietatem, tanta ducuntur rerum sacrarum reuerentia ac veneratione, plurimi inter eos orationi mentali, & rerum sacrarum meditationi vacant, maximè Pasſionis Domini, idque cum

 sin.

singulari animi sensu, prorumpentibus subinde ex pio animi affectu tenerrimis lachrymis, qui fructus in ipsos exteriores actus redundat.

Sacro intersunt summa cum reuerentia & attentione, cuius arcana mysteria sua iam lingua ac litteris habent expressa Patrum nostrorum opera. Est vbi consecrationis tempore nudatum tergum acri verberatione in memoriam sacratissimæ Passionis affligant, ortum id à quodam ibi Christiano, qui cum die quodam festo serius advenisset, vt sacro interesset, tantò mali præbiti exempli cœteris sensu affectus est, vt pro culpæ suæ satisfactione emendationeque, dati vt rebatur scandali, actitet se flagellis ex funiculis contextis coram adstantibus diuerberarit; quod ille in pœnam, faciunt nunc cæteri in pietatis & ardoris argumentum.

Maximè addicti sunt pœnitentiæ Sacramento, summo candore animi, & accuratione, & cum in Sinis maximè indecorum sit, detecto videri capite, hocque solùm fiat reis, qui ad tribunalia adducuntur, tamen nostri Christiani, cum confitentur, detecto capite confessarium accedunt, tanquam rei ad iudicem; culpas etiam minimas confitentur, parati quamuis pœnam indictam, ieiunium, & etiam diuerberationem nonnunquã admittere. Mira qua corporis, qua animi modestia, compositione & demissione ad Sacratissimum sacræ Eucharistiæ mysterium accedunt, pridie se parantes, multoque in gratiarum actione

red-

reddenda tempore absumpto.

Recordari deberent Philippinenses illius adolescentis Capitanei, qui elapsis annis venit ad vrbem Manilam ex Cinceo, cuius rarum in hac re exemplum adeo extulit R. P. Bartolomæus, Martinez Prouincialis Dominicanæ familiæ vir verè Apostolicus magnus zelator animarum, vt à multis sæpius auditus sit asserere; tametsi aliud non egissent Patres Societatis apud Sinas, quam hunc solum conuertere, abundè vbique, beneque impensos posse putare suos labores. Hoc viri illius verè Apostolici, omniumque, qui adolescentem illum notant, fuit testimonium; hæc, qui qualesque sint Christiani, abundè demonstrant, vt nil necesse sit ab alijs inuri maculam illorum gloriæ.

§. QVINTVS.

De statu rei Christianæ in Aula Regia.

QVia suprà attigimus quosdam ex Aula Regia conuersos, & mirus est omninò modus, quomodo lux Euangelica eo penetrauit: Ecce tibi verbis ferè Patris Ioannis Adami, qui totius huius negotij curam gessit.

Aula regia in medio vrbis PeKing loco sita tri-

bus muris clauditur, intra duos primos eosque extimos, sunt Custodes corporis Mandarini, Eunuchi, alijque Ministri Regij: intra vltimum, qui spatium cæteris longè maius pro cubiculis, hortis ac Syluis continet, habitat Rex. Hic nemo etiam quantumcumque breui spatio admittitur, præter Eunuchos ac mulieres, quibus Rex ad omne ministerium vtitur. Omnes illæ Palatinæ, ex quo intrarunt, nunquam egrediuntur splendido illo ornatoque Aulæ carcere: varij interius sunt ministeriorum gradus ac dignitates.

Vna princeps est Regina legitima, cuius filijs ius est successionis ad Regnũ, aliæ sunt concubinę aliæ ab his regium ministerium curant, aliæ a cubiculis, custodes vestium aliæ, alia Aulæ præfecta est. Cumque egressus nulli pateat, manent semel ingressæ ad vsque ipsam Imperatoris mortẽ. Ibidem sunt prioris Regis Vxor, & concubinę, cũ suis quoque Eunuchis & ancillis; quidam etiam Eunuchi regij Musicę, astrologię, rebus mathematicis, alijsque minus congruentibus sequiori sexui præfecti sunt.

Ex hac adeo arcta Regis, totiusque Aulæ conclusione ingens oritur difficultas, eo Euangelij lucem inferendi. At quod non potest humana industria, facilè efficit diuina potentia. Erat inter Ephebos quatuor Eunuchi cuiusdam Güey nomine, Regis prioris amicissimi, Eunuchus alius cui nomen Van, destinatus, vt videtur, ad perficien-

ciendum illud singulare Dei obsequium. Erat hic animo modestus omninò, minimèque insolens, aut ad altiora aspirans, (quod rarum omninò in tali hominum genere) vnde cæteris illius socijs ad altiora euectis, ille domesticis contentus parietibus , tenuique censu cætera ferè respuebat Hinc cum rege demortuo, ipsius Dominus Guey eiusque Comites, sorte sua excidissent, & ad quæstionem poscerentur, nescio quas ob commissas insolentias, solus Van liber euasit; gratiamque ac fauorem Regis noui obtinuit.

Domum huius Eunuchi Van incolebat anno 1637. quidam Christianus nomine Lucas, officio pictor, is sacris pingendis imaginibus promouere studebat rem Christianam : His frequenter cũ Eunucho primum cępit miscere sermones tum explicare imagines, in ijsque de Dei lege, eiusque præconibus subinde inferre mentionem; demum paulatim tantum efficere, vt eum ad eos ipsos adduceret. Visa hæc minimè negligenda occasio , quę tantopere faceret ad Dei gloriam instituitur, soluuntur dubia baptizatur, Iosephi insignitur nomine. Ille ad parentes, suosque domesticos ab errore auocandos mire accensus, id non multò post effecit: plurimum ad id potuit egregia morum modestia compositioque, præter natiuam enim illius insitamque erga omnes humanitatem ac beneuolentiam, quibus omnium omnino sibi demerebatur animos, eratque tanquam lilium inter spinas, inter Eunuchos cætero-

ros

ros hisce maximè virtutibus destitutos, supplebat Diuina gratia, quod deerat naturæ. Inde in frequentando sacro Missę officio, cui diebus festis ministrare solitus, audiendis concionibus, Sacramentorum susceptione assiduus, studio scribendi legendique post susceptam fidem ad intelligendos nostrorum partum libros, aliaque pietatis opera omninò diligentissimus; raro exemplo non sodalitati nobilium, quę est in templo ibi nostro, sed plebeiorum adscribi voluit, domum suam, quoties opus, sacris celebrandis commodabat, in qua admittebantur fœminę, quibus more patrio vnà cum viris templa adire non licet.

Fuit ex Mandarinis quispiam, qui ad extremam redactus inopiam, iam de proscribenda familia, duabusque filiabus prostituendis cogitaret, ille non sine parentum suorum murmure, ac querelis hominum, eum suis sustentauit opibus, pec eandique exemit periculo. Hic ob insignem animi sui demissionem subiectionemque iudicij, qua Patres nostros in rebus fidei dubijs, cum ab alijs consuleretur, consulere solebat, hunc à Deo fauorem promeruit, vt primus initium daret saluti multarum Palatinarum in Aulia Regis degentium, primus hic instructam à se, ac Catechismo edito à nobis donatam è consilio nostrorum, sacro fonte abluit, nomenque Catharinæ imposuit. Hac intercedente accessit & altera, quæ singulari Dei beneficio adhuc gentilis ingenti ác manifesto periculo, inuocato sacro

Dei nomine, quod à Catharina impressum acceperat, fuerat erepta, quo prodigio attonitæ plures Christo nomen dederunt, adeo vt anno 1638. ad duo de viginti, opera Ioseph, alteriusque Eunuchi, quem Christo lucrifecerat, numerarentur Christianæ. Nomen huic alteri Hilarius est, nihilo suo Magistro demissione illa animi, cœterisque virtutibus inferior.

Verùm cum Palatinæ Aula egredi non possint, nec licitum eam intrare Patribus nostris, sentiunt vehementer; quod nostros pro instructione, Sacramentorumque susceptione adire nequeant; media quidem adhibere aliqua tentarunt, sed ea à nostris omninò reiecta sunt, ne se suosque Neophytos manifesto exponerent periculo, satis esse asserentibus, vt priuatim in pietatis virtutisque cultu proficiant, paulatimque cùm Reginæ ipsi, cum Regi de lege nostra dextrè aliquid subindicent, vt agnitum aliquando tantum bonum, illud tandem admittant, difficultatesque amoueant. Litteris si quid agendum vltrò citroque missis peragitur, quas reddunt accipiuntque Eunuchi, exercitationesque pietatis illis subministrant domestico Oratorio exstructo ac eleganter adornato.

Nunquam inter eas, vti vulgò inter gentiles solet, dissensiones audiuntur, aut rixæ; minimè etiam defectus publica expiantur pœna; genibus & capite ad terram demisso, quod ibi familiare. Tantùm non in dies, quæ pro cultu diuino

opus

opus sunt, domum nostram submittunt, modò candelas, modò suffimenta aliaque huiusmodi, quæ cuique aut pietas, aut feruor suggerit: cumque oblata ab illis nostri pro vsibus nostris, puta vestem aut suppellectilem, aliaue esculenta aut poculenta, admittere hactenus non soleant. summo id opere impetrare sunt conatæ, vt saltem domesticis famulis de ijs subinde illis liceat prospicere. Fuit quædam Agatha nomine, quæ cum inaudisset ab Eunucho, Patrum vestes domi nostræ confici, bonam partem argenti mitteret, quasi mercedis laborum nomine.

Denique in calamitatibus illarum, periculis, aut morbis, vnicum est ad preces nostrorum perfugium, neque id semper in cassum; diuinam enim opem sæpè expertæ sunt. Crescit illarum in dies feruor ac numerus, vt numeratæ fuerint anno 1639. ad triginta & octo; interque eas Regis prioris vxor opera Iosephi conuersa, aduersarijs contra illam stantibus turpiter conuictis.

Anno 1640. numerum superabant quinquagesimum, ijs cum innotuisset eodem anno ad lustrandam domum nostram eò aduenisse R. Patrem Viceprouincialem, P. Franciscum Furtadum; insigne ad eum misere munus, Epistoliumque signatum manu quadraginta & ampliùs è Palatinis primariis omnium nomine, quod ipsemet vidi; Abeunti dein misere aliud in viatici subsidium. Omnium rogatu ex tum statuit R.

P.Vi-

P. Viceprouincialis aliquam ex iis quasi Præfectam, cui cœteræ parerent, quod munus cum diu illa recusasset, demum aliarum precibus, nostroque consilio admittere coacta est.

Nec procul iam à Rege ac Regina abest ipsa lux Euangelica; cum enim nuper quędam ministrę apud illam accusatę essent, quod Christianę essent, illa grauiter eas increpuit, non quod Christianę essent, sed quod boni illius se minimè fecissent certiorem, adeo vt spes omninò fuerit maxima, breui eam Christo manus daturam; quin & Rex ipse non procul abesse videbatur à Regno Dei; præter enim fauores alios, nostris, & erga legem Dei exhibitos, nuper Clauicordium illius olim Auo à R. Patre Matthæo Riccio oblatum, nobis concinnandum submisit; versiculum aureis ibi litteris inscriptum: [Cantate Domino Canticum nouum :] à nostris Sinicè sibi exponi voluit;

§. SEXTVS.

Munera quæ, & quo euentu Imperatori oblata.

Clauicordio additum aliud munus, quod mille aureis Olysipone fuit æstimatum. Liber erat submissus pro Rege à Serenis-

simo

ſimo Bauariæ Duce nuper ex Europa laminis argenteis, in quibus quatuor Euangeliſtarum artificioſiſſimo opere deductæ extabant imagines, opertus. Prima intus imago erat adoratio Regum depicta, manu artificis omninò ſingularis. Sequebantur ſeptuaginta & ſeptem ex pergamena membrana, quæ vitam Chriſti artificioſiſſimis coloribus auro argentoque hinc inde interpoſito exprimebant, ex aduerſo textus erat Euangelii aureis litteris Sinicis ſcriptus: velo integebantur omnia, filo aureo Sericóque in Belgio intertexto. Ad hoc tollendum, aperiendumque librum manus ſibi lauari voluit Rex; vt verò vidit, obſtupuit, ſtetitque aliquamdiu, tum collocato ante ſe libro proſtratus in terram Deum infantem prono vertice eſt veneratus, eundem illum agnoſcens, qui Reges illos è terris adeo remotis ad ſe vocaſſet, modòque ad ſe viſendum è tantò remotioribus in ſua veniret imagine, idem fecere adſtantes omnes, interque eos ipſa Regina: tum Rex ad eam conuerſus, neſcis, inquit, quantò maior ſit puer hic, Fe tuo (idolum id apud Sinas maximo in honore eſt, & ille) (Regem è tribus Magis vnum digito monſtrabat) quanto ſanctior eſt noſtro Yao (is Rex habetur apud Sinas Sanctiſsimus:) hanc imaginem cum diu fuiſſet contemplatus, cœteras poſt paginas omnes reuoluit, ſingulis ſigillatim honore exhibito, negotiis omnibus in aliud tempus reiectis: poſtridie librum maiori in aula collocari voluit

dicta,

dicta, Palatium virtutis, vbi cum publica solemnitate à Rege, Regina aliisque Palatinis fuit exceptus: tres omninò dies tenuit hæc celebritas, quibus exactis veritus Rex, ne quid ibi à quopiam gentili pateretur detrimenti, magno apparatu ad aliam aulam interiorem transferri iussit, vbi thesauri Regis, & artificiosissima quæque seruari solent, sæpiusque ibi adiri à Rege scimus, non sine summo honore ac studio sacri textus perlegendi, cui breuem declarationem adiecit quidam è Patribus.

Verùm cum propter vitium oculorum minùs subinde Rex, quam volebat, assequi posset, exclamabat quandoque: Lex Dei Cœli verax est, Sancta est, at ego illam non satis capio. Credi vix potest, quo gaudio hęc persuderint R. Patrem Viceprouincialem, & Patrem Ioannem Adamum, qui quàm mox ampliorem elaborare cœpit explicationem, idque per modum Catechismi, quam data occasione Regi statuerat offerre, oblataque est, sed (quę sunt iudicia Dei) inter has spes Tartari Regnum inuadentes omnia perturbarunt, vt supra notatum est.



§. SEPTIMVS.

Catalogus quorundam librorum, qui à Patribus Societatis IESV in Regno Sinarum fidem Christianam prædicantibus, Typis ac idiomate Sinico impressi sunt; in quo illi tantum numerantur, qui ad legem pertinent Christianam, omissis aliarum scientiarum, & artium; omnium enim index cum auctorum elogijs alibi reseruatur.

R. Pater Michael Rogerius Italus, anno 1581. edidit Sinicè librum, cui titulus Thien Chù Xing Kiao Xe lo, hoc est, vera relatio de sanctissima lege Cœlorum Domini: ita in Sinis Deum vocamus.

R.P.

R. P. Matthæus Riccius impressit librum, cui titulus Thien chu xe y, estque elegantissimo stylo compositus, in quo tractat de Deo, vnde eius titulus significat; Cœlorum Domini vera ratio.

Item alium typis euulgauit dictum Kì gin xe pien, hoc est, decem paradoxa, vbi de morte, iudicio, ieiunio, ac similibus agit piè ac eruditè, more philosophico.

Item alium edidit, cui titulus vl xe ù yen, qui continet varias ac exquisitas sententias ex ethnicis ad virtutis incitamentum.

Posthumum etiam reliquit, qui excusus citò post eius mortem fuit, cui titulus, pien hio y to in eo refutat calumnias, quas contra legem Christianam ediderat Sacrificulus quidam, & magnus alius philosophus; hac occasione errores Idololatriæ, qui apud Sinas sunt, detegit, ac refutat.

R. P. Lazarus Cattaneus Italus, communis iuris fecit librum, cui titulus, Hoei çui yào chì, qui tractat de dolore peccatorum ac contritione.

R. P. Ioannes Soerius Lusitanus impressit librum cui titulus Xing Kiao yo yen, quæ verba significant, Sanctæ legis compendium, ac verè tale est opus, in quo etiam præcepta Decalogi explicat.

R. P. Nicolaus Longobardus, Italus, qui adhuc viuit, iamque in Sinis diuinam legem pro-

mulgat annis omninò 57. typis euulgauit exercitium quotidianum variarum precum, dictum Sinicè Xing Kiao ge co : edidit etiam librum cui titulus Ling hoen tao ti xue : tractat enim de anima, eiusque potentijs.

R. P. Ioannes de Rocha Lusitanus impressit Sinicè reditum, Catechismum illum, quo tota Lusitania vtitur, vulgoque vocatur la Cartilia : edidit hoc opus stylo vulgari, vt à pueris ac fœminis possit intelligi.

R. P. Didacus de Pantoja Hispanus elegantissimo stylo opus edidit egregium, Cie Ke dictum, hoc est, septem Victoriarum, in quo agit de septem virtutibus, septem peccatis capitalibus contrarijs.

Item impressit librum, cui titulus, pang çu y ciuen, qui continet exactissimam ac extensam explicationem duodecim Articulorum Symboli fidei.

Item alium, cui titulus, Thien chu xe y so pien; in quo Deum esse probat, eiusque attributa fusè explicat.

Item alium de Angelis bonis ac malis; ideo illi titulus Thien xin mo quei xue, hoc est, de Angelis ac dœmonibus locutio.

Item alium de Origine hominis, de peccato Originali, de diluuio vniuersali : huic titulus est : gin lui yuen xi, quæ verba significant, humanæ speciei Originem ac principium,

R. P. Gaſpar Ferreira Luſitanus impreſſit Sanctos Menſtruos, additis Sanctorum Patrum ac Sacræ Scripturæ ſententijs; hos more Societatis noſtræ menſibus ſingulis, Chriſtianis partimur.

Item edidit meditationes de quindecim Roſarij myſterijs cui libello titulus eſt, Nien King quei ching.

R. P. Alphonſus Vagnoni Italus, typis edidit egregium librum, cui titulus Kiao yao Kiai lio: Duos habet Tomos, in quibus totum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Catechiſmum fusè ac doctè explicat, præcipuè verò ea quæ ad Incarnationem ac Sanctiſſimam Paſſionem Saluatoris pertinent.

Item Vitam ac miracula B. Mariæ Virginis, qui liber vocatur Xing mu hing xe.

Item edidit ſeptem volumina de vitis Sanctorum, Primum eſt de Apoſtolis: Secundum de Pontificibus Sanctis: Tertium de Martyribus; Quartum de Confeſſoribus: Quintum de Eremitis: Sextum de Virginibus: Septimum de viduis. Vocantur hi tomi Sinicè Thien chu Xing Kiao Xing ging hing xe.

Item alium librum edidit de quatuor Nouiſſimis, cui titulus çu mo lun.

Item alium cui titulus pi hio, ſiue comparatio; nam totus pulcherrimis comparationibus plenus eſt, quæ refertæ ſunt ſententijs phi-

losophicis ac moralibus.

Item alium, cui titulus Xe guei, hoc est, decem consolationes: decem enim capita continet, in quibus, antidota pia ponit contra humanas aduersitates, ac mala.

Item alium in quo Lectores excitat ad virtutis veræ studium ac amorem: huic titulus est li hio cu yen.

Item alium dictum çe xing xe pien, hoc est, de Sanctorum imitatione.

Item alium de pia puerorum educatione, estque Tomus duplex, quibus hic titulus Tung yeu Kiao yo.

Item alium, cui titulus Hoan yu xi mo, hoc est, de Mundi initio ac fine.

Edidit etiam multos alios Philosophicos, ac morales, de quibus alibi agetur.

R. P. Emanuel Dias Lusitanus impressit egregium Opus supra Euangelia totius anni, iamque tomi duodecim typis vulgati sunt, reliqui sequentur; est hoc opus ab omnibus Christianis maximè expetitum.

Item edidit Litanias Sanctorum Angelorum, quas ad pium Christianorum vsum in linguam vertit Sinicam.

R.P. Nicolaus Trigautius Belga impressit librum de Computu Ecclesiastico, per quem Christiani Sinenses indagare possunt festa ac ieiunia Romanæ Ecclesiæ.

R.P. Franciscus Sambiasius Italus edidit librum, cui

cui titulus, Ling yèn li cho; in eo de Anima triplici tractat. Vegetatiua, Sensitiua ac Spirituali fusissimè.

R.P. Iulius Aleni Italus edidit Vitam Christi Saluatoris nostri, octo tomis diuisam; quibus titulus est, Thien chù Kiang sēng yèn hing Ki lio.

Item alium librum, cui titulus Thieñ chu Kiang sēng yn y: in quo particulariter agit de Christi Incarnatione.

Item alium librum Imaginum in quo ad exemplum Patris Hieronymi Natalis tota Vita Christi, ac mysteria ligneis laminis sculpta cernitur, ac impressa; hic liber vocatur Thieñ chù Kiang seng cho siang King Kiai.

Item alium duplici tomo de Sacro sancto Missæ Sacrificio; vocatur Missa ci y; in quo Sacrificium Missæ, omnesque ad illud pertinentes Ceremoniæ explicantur;

Item alium de Sacramento Pœnitentiæ, dicitur Tie çui ching quèi.

Item alium, in quo ex origine Mundi probat dari Deum; dicitur liber Vàn vŏ chīn yuen, hoc est, rerum omnium Vera Origo.

Item alium cui titulus Sān Xān lun hio Ki; in quo per Dialogos refutat Auctor principales errores Sinarum; dubiaque soluit à Sinis interrogari solita.

Edidit etiam Sinicè Sancti Bernardi dialogum

inter

inter Animam, & Corpus, cui titulus Xing mungco; in quo etiam poetico ſtylo multa explicantur.

R. P. Franciſcus Furtado Luſitanus, impreſsit ſex Libros de Mundo, & Cælo, dicuntur Hoan yù ciuen; in quibus ex philoſophia probat dari Dominum Vniuerſi, ac Deum eſse.

R. P. Ioannes Adamus Schal à Bel Germanus vertit Sinicè Librum Reu. Patris Leſsij, ac edidit, qui inſcribitur de prouidentia Numinis; cui Pater Martinus Martinius addidit de immortalitate Animæ eiuſdem Auctoris; vocatur Liber hic Chū chi Kiung ching.

Item edidit Librum de Octo beatitudinibus, cui titulus Chiñ ſo pa pien Kiai.

R. P. Iacobus Rho Mediolanenſis, impreſsit elegantem explicationem Orationis Dominicæ; Tomus eſt ſatis magnus, cui titulus Thien chu King Kiāi.

Item alium librum, in quo eodem modo explicat Salutationem Angelicam; inſcribitur Xing mù King Kiai.

Item aliud volumen quatuor librorum de mortificatione & ieiunio, cui titulus Chāi xe.

Edidit etiam tres libros, de operibus miſericordiæ, quorum titulus eſt Gai King hìng ciuen.

Item vertit Sinicè ac edidit Monita Spiritualia San-

Sanctæ Matris Theresiæ; Libri nomen est Xing Ki pe yèn.

Item composuit ac vulgauit typis librum, in quo pro singulis diebus totius anni sententias Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum collegit, cui titulus, Chēu xui King yù.

R.P. Ioannes Foes Lusitanus edidit librum de iuuandis illis, qui sunt in articulo mortis, cui titulus Xen chung cu cuñg.

Item vertit Litanias Sanctissimæ Passionis, ac varias Orationes de quinque Sanctissimis Christi Domini vulneribus, quibus maximè delectantur Christiani.

R.P. Rodericus de Figueredo edidit duos Tomos precum ac variarum deuotionum: dicuntur Nien King çung tò.

Edidit etiam opus, cui titulus Xing Kiao yuèn lieu, quatuor continet libros; estque totius fidei Christianæ ac Catechismi explicatio, cui non suum nomen, sed Christiani cuiusdam præfixit, cui rem oretenus dictabat.

R. P. Ioannes Monteiro Lusitanus impressit compendium legis diuinæ, cui titulus Thieñ hio lio y.

Item alium de vero & falso cultu Dei, in quo agit de Adoratione; inscribitur liber pien King lo.

Ex his itaque libris intelliget Beneuolus Lector, Patres Societatis IESV, & verbo & scripto talem legis Dei notitiam Sinis dedisse, vt vix inuenias in tanto Imperio omnino ignorantem; videbis etiam, quàm procurarint Societatis Patres, vt nihil nostræ legis lateat Sinas, quibus & Incarnationis, Passionis, ac Crucis tantam dedimus notitiam. Demum luce clara clariùs intelliget Lector, Societatis Patres non vulgarem habere debere scientiam de moribus, legibus, doctrinis ac statutis Sinarum, vnde facilè discernere possint, quæ politica solùm, & quæ superstitiosa sunt, vt bona à malis distinguant: nec styli ac literarum Sinensium ignarus, vt vides, edere posset, & multò minus variarum opinionum ac sectarum errores refutare editis libris, si illos non cognoscerent penitus, ac intelligerent.

OMNIA AD MAIOREM DEI GLORIAM.



